

ro, quae naturali ratione absque sollemnitate absoluitur, est modus acquirendi naturalis. <sup>e)</sup> Ex his igitur apparet, posse vnum eundemque acquirendi modum, varia ratione, & naturalem dici & ciuilem. Nam traditio, quae fit absque mancipationis sollemnitate, dici potest 1) modus acquirendi naturalis, tam a fundamento, quia iure naturae fundatur, quam ratione formae, quia iuris sollemnitatem & formam non desiderat; sed & 2) ciuilis recte dicitur, quatenus iure ciuili quoque effectum sortitur.

## §. VI.

His igitur, secundum id, quod erat propositum, <sup>a)</sup> paucis praemissis, accedimus ad id, quod principaliter quaeritur, scilicet: vtrum fructuum rei alienae perceptio, quae bonae fidei possessori tribuit dominium eorundem, sit modus acquirendi naturalis? id est: An ipso naturali iure possessor rei alienae, percipiendo fructus, eorum dominium acquirat? intelligitur enim, de modo acquirendi sermonem esse, qui naturalis dicitur ratione fundamenti. Nec puto, fore, qui de neganda quaestione dubitet. Nequit enim vlla ratio naturalis demonstrari, ex qua intelligatur, quare is, qui rem alienam, licet bona fide, possideat, sibi fructus eius vindicare possit, quin potius dominus rei naturali ratione erit etiam dominus fructuum. Bona fides autem excusat quidem possessorem a dolo & ab iniuria, quae

<sup>e)</sup> Vid. VLPPIAN. *fragm. d. t.* §. 7. ibique CUIAC, & SCHVLTING.

<sup>a)</sup> Vid. supra §. II. pag. 3.